

« quod mons lubricus, quia videlicet in sublimi fastigio dignitatis, non figit gressus stabiles, nisi « maturæ gravitatis sanctitas. » Idem quoque Abbas Spiritum Sanctum mox subjunxisse observat, quod in hoc monte generosissimi quique et fortissimi ex Israel occubuerint : « *Ubi ceciderunt fortes Israel,* » quia plerumque qui in plano et humili videbatur « securius stare et stabilliter ambulare, cum ad arduum et lubricum venerit, adversario fortius « impugnant non resistit, nec persistit in ea, quæ « ceperat sanctitate. »

S. Thomas in libro de *Eruditione Principis*, assignat rationem quare humana dignitatis culmen adeo lubricum sit et periculosum. Considerat enim quod homo aliud nihil sit quam pulvis et cinis, ac proinde cum loca alta ventis exposita sint, mirum profecto non est, quod homo de dissipatione et dissipatione sui periclitetur; quid enim facilius est quam quod pulvis in alto positus evanescat et a vento elationis dissipetur? « Quid est potestas culminis? tempestas mentis. Specialiter perlat ibi « Aquilo, juxta verbum Luciferi: *Dominans sedebat in lateribus Aquilonis.* » Ac proinde clarum est, inquit idem sanctus et Angelicus Doctor, qui primas summæque etiam prelaturas et dignitates semper a se repulit, dignitates humanas non ambiendas sed timendas et formidandas potius esse; quia juxta *Christi consilium* humiles esse debemus : « *Recumbe in novissimo loco;* hic est locus congruens homini, qui est terra et cinis; terræ enim non congruit esse in alto, quæ est infima « elementorum; cineri enim congruit ne in alto « sit, ne dispergatur a vento. »

**b.** — Rex paterfamilias nuptias complere sollicitus, ad compita et vicos servos dimittit. Anne sapiens in rege consilium? Nam in civitate ordinatum erat convivium. Cur igitur non in civitate, ejusque foro et plateis querit convivas? Ad quid per exitus viarum extra civitatem invitatos perquirat? « Egrescentes servi, » ait Origenes, relatus in *Catena*, « sive de Judea, sive de Jerusalem; Apostoli « Christi venientes ad vias diversorum morum, « congregaverunt quos invenerunt. » Et merito sane ita factum est, nam in illo convivio, sedem solum erant habituri, qui nuptiali charitatis et puritatis veste ingrederentur vestiti; in civitatibus autem probati iustitia valde difficile reperiuntur. Ut ergo convivantium locus adimpleretur, necesse fuit extra civitatem, per exitus viarum epulatores vocare atque perquirere; inibi enim continentia probati reperibiles existunt. Ad hanc conservandam plurimum solitudo juvat. Solitudo verecundie centrum est, ait S. Ambrosius, *exhort. ad virgines*: « Deceat, » inquit, « solitudo verecundiam, et gymnasium pudoris secretum est. » Auctor quidam scribens de expeditione Christiana apud Sinas, refert quod : « Magnam partem mulieribus elegantie

« statuant in pedum parvitate; quæ ex causa a « prima puerilia pedes arctissime fasciis obvolvunt « ne secescant libere, atque ideo in incessu truncas « eas prope judicares. Has fascias per universam « vitam adhibent. Id videtur sapientis alicujus « inventum fuisse, ut eas domi contineret, ne facile per vicos cursant; quod feminas deceat imprimis. » D. Hieronymus virgini Eustochie hoc dedit consilium : « Cave ne domum exeat, et velis « videri filia regionis alienæ. Dina egressa corrumperit. Nolo te sponsum querere per plateas. »

Nulla fuit inter omnes animas creatas, quæ ita rapuit cor Dei, sicut Beatissima Maria Virgo, Dei Mater jam electa; grata enim ei fuit specialiter virginitas sua : « Virginitate placuit; » verba sunt S. Bernardi omnibus nota. Vultisne scire quantum cura et circumspectione custodierit, ac conservavit hunc thesaurum? Ecce invenietis in ea intensissimum semper solitudinis amorem, de quo S. Ambrosius scribens Sabino Episcopo, ita discurrit : « Sola erat Maria, et loquebatur cum Angelo; sola « erat quando supervenit in eam Spiritus Sanctus, « et virtus Altissimi obumbravit eam. » Hæc conformia sunt quæ scribit S. Eucherius, *Hom. de festo Annunt.* « Ingressus est Angelus ad eam; non « enim Virgo in plateis erat, non in publico morabatur; intus erat in penetralibus, sola sedebat. » Legatione Magnatum celebrioris ad alios principes destinata, pro expediendis magni momenti negotiis, prima vice ad minus, summa cum pompa et applausu publico, presentibus regni primatibus excipiuntur; in hac vero legatione longe alius stylus observatus fuit : « Sola in penetralibus, quam « nemo virorum videret, solus Angelus reperiret, » ait S. Ambrosius, « sola sine comite, sola sine « teste. » Nec aliud mysterium erat, quam quia *missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem.* Virginitas amat solitudinem et sequestrationem. Nix est symbolum puritatis; conservatur autem candida et illæsa in solitudine, non in plateis urbium, aliisque locis inhabitatis. « Tænera res in « feminis, fama pudicitia; » ait S. Hieronymus, « quasi flos pulcherrimus cito ad levem marcescit « auram. » Unde Tertullianus, *lib. de velandis virg.*, ait : « Struendum esse sacris virginibus pudoris « murum, qui nec proprios emittat oculos, nec « admittat alienos. »

## VERSUS 10.

*Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, bonos et malos, et implete sunt nuptie discumbentium.*

*Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt.*

**1.** — Dionysius Carthusianus per hanc servorum in vias egressum, iter Apostolorum interpretatur,

ad varias nationes et terræ populos, ad fidem reducendos institutum : « Id est, ad gentium dispersiones ac lata itinera perditionis, congregaverunt, « hoc est, ad Christum converterunt, atque in ejus « fide et charitate, et ecclesiastica unitate spirituales collegerunt. »

**2.** — Venerabilis Beda per has vias, varias Gentium sectas et dogmata intelligit : « Viæ intelligentur dogmata et errores Gentilium, sed ex « omnibus his ad nuptias venerunt, id est, Christo « crediderunt. »

*Omnes quos invenerunt.*

**3.** — Non vult dicere, inquit Dionysius Carthusianus, in *Math.*, quod hi servi, id est, Apostoli, omnes individualiter converterint, sed aliquos ex omni natione, omni statu et professione. « Non « omnes simpliciter, » inquit, « quia non omnes « obediunt Evangelio, teste Apostolo; nec omnium « est fides, sed quosdam de omni genere hominum. »

**4.** — Chrysostomus ad hanc a Christo datam commissionem : *Ita ad exitus viarum et quoscunque inveneritis, vocate, se reflectens, subjungit : « Etiam abjectos, et viles, obviam factos invitate, « itaque quoniam crebro dicebat, quod meretricis « et Publicani, celos hæreditabant, sicutque primi « ultimi, et ultimi primi, id juste fieri demonstrat, » pergit ulterius dicere, quod Judæos acriter punxerit, quod etiam Gentibus viam ad cælum apertam esse audierunt : « Hoc quippe maxime « omnium, Judæos vexabat, et multo magis quam « ipsius urbis ruina illos mordebat, quia gentes « introdaci jam adiebant. »*

*Bonos et malos.*

**5.** — Quo sensu hæc malorum et bonorum in hæc nuptias commixtio intelligenda sit, cum indubitatum esse sciamus, quod *nil cõ inquinatum intrabit in regnum cælorum;* Jansenius bene declarat, dum convivium hoc in Ecclesia hic in terris militante instruit, dicit : « Secundum Gregorium, » inquit, « boni pariter et mali congregati dicuntur; ut « intelligeremus in Ecclesia semper malos bonis « permixtos fore; » et quidem Christum de statu præsentis hic loqui, ex verbis sequentibus clare deducitur, siquidem is, qui veste nuptiali carebat, ab hæc nuptias expellitur; itaque boni et mali dicuntur, non ratione bonitatis et malitiae, in qua fuerant, cum vocarentur, sed in qua post vocationem erant futuri.

**6.** — Anselmus ait : « *Malos et bonos,* id est, « eos, qui per naturalem legem et morum honestatem, quodammodo boni erant, et eos, qui post « posita naturali lege, male vivebant. »

**7.** — S. Thomas hæc verba de illis explicat, qui a principio, quando invitabantur, mali erant, postmodum vero in statum reducti fuerunt salutis : « Vel

« potest dici, » ait, « quod loquitur comparative, « quod inter illos aliqui sunt boni, secundum « virtutes civiles; vel *bonos et malos,* qui postquam « congregati fuerint, commiscerunt boni et mali. »

**8.** — De hypocritis et inconstantibus verba illa Lucas Brugensis intelligit : « *Malos vero dicit, « hypocritas,* qui conversionem simulaverunt; et inconstantibus, qui relapsi perseveraverunt in malo. »

**9.** — Dionysius Carthusianus hoc loco querit, qua ratione inter Gentiles, boni homines reperiri poterint, et respondet cum S. Paulo, dicens : « Teste Apostolo, gentes, quæ legem non habent, « et tamen quæ legis sunt, faciunt, ipsi sibi sunt « lex; et multi Gentilium in suo genere, naturalibus virtutibus ornabantur, morum honestate « fulgentes, et inclinati ad bona; hic comparatione « aliorum boni vocantur, quamvis non erant in « statu salutis. »

**10.** — S. Anselmus dicit : « Vel *bonos et malos,* « id est, prædestinatos ad vitam et ad mortem, qui « indiserete utuntur presentis Ecclesie conversatione; » ad quod pariter parabola retis alludit, quo « omnium piscium genera capiuntur quidem, et quibus tamen postea particularis instituitur bonorum delectus, prout in *Matthæo, xii, 47,* legitur; etenim dum vocamur, nullus habetur respectus, an boni vel mali simus, quia ad salutem æternam omnes vocamur, et invitamur; habetur autem hic respectus, quando huic mensæ accumbendum est, quando æterna beatitudine fruimur.

**11.** — Lucas Brugensis ait : « *Addit vero hoc « de bonis, et malis evocatis, eo quod videri poterat, « ad has sacrosanctas nuptias neminem admittentem dum fuisset, nisi bonum, a servis præsertim missis « a Domino, cordium scrutatore; atqui noluit Dominus « minus judicium hoc servis committere, qui mali « essent, qui boni, sed reservavit sibi; quia, ut « inquit Hilarius, malos intelligere non omnium « est, et humana simplicitas difficile fraudulentiam « simulate mentis intelligit. »*

*Et implete sunt nuptie discumbentium.*

**12.** — « Quia fides Catholica, » inquit Lyranus, « diffusa est per orbem universum. » Albertus Magnus similem affert expositionem, dum ait : « *Crediderunt, quodquot præordinati fuerant ad « vitam; hæc impletio non est nisi perfecta per « mundum dilatatio. »*

**13.** — Dionysius Carthusianus in Dominicam XX post Trinitatem dici non potuisse considerat, omnia fuisse perfecta, hasque nuptias ultimum suum habuisse complementum : « Non perfecte « nisi in fine mundi, cum pleritudo gentium intraret, veritatis, omnisque Israel, juxta Apostolum, salvus « fuerit; nunc autem aliquoties sunt nuptie istæ « implete, quia in omnem terram exivit sonus « Apostolorum. »



## VERSUS 11.

Intravit autem Rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

Intravit autem Rex, ut videret discumbentes.

1. — S. Anselmus huic ingressum non motu progressivo factum esse dicit, quia Deus in omni loco præsens adest: « Intravit videre, non quod est aliquid, ubi non sit, sed quia, ubi vult aspicere, sit præsens, ubi non vult, absens videtur. » Auctor Imperfecti illa de iudicio explicat, quod de nobis in fine mortis erit: « Dies aspectionis est dies iudicii, quando visitaturus est Christianos. » S. Thomas, in *Math.*, pariter de iudicio finali exponit, dicens: « Examini intravit; intrat enim, quando exeret iudicium super eos, et hoc in finali iudicio; item in morte, item quando immittuntur tribulationes Ecclesie. » Lyranus eandem adhibet distinctionem, dum ait: « Intrat, discernendo merita, et demerita credentium, et hoc dupliciter et in futuro iudicio et specialiter in morte cuiuslibet hominis. » Hanc Glossam præ omnibus aliis Beda super hunc S. Matthæi textum adducit, inquires: « Ingressus regis adventum Domini in die iudicii ostendit, quando fidem et merita singulorum discernere venit. »

2. — Querendum hic est, cur rex ille ad hunc reum castigandum personaliter venerit, de quo alias dicitur: *Dominus de celo prospexit super filios hominum alta a longe cognoscit, ipse sciebat, quid esset in homine?* Numquid igitur ministrorum suorum opera uti poterat? Sciendum igitur per hunc regem, Filium Dei significari, qui notitia hac intuitiva opus non habebat; illos tamen, quibus alios iudicare competit, docere voluit, ne aliorum relationibus nimium fidant, sed quotiescumque illis permittitur, personaliter negotiorum examini se applicant, et, si opus est, id de quo agitur, oculis videant, quia in iudicio et reputatione proximorum agitur, quod est punctum valde arduum, et, si negligatur, magnum secum affert conscientie nostræ gravamen. S. Paschasius aliam quamdam adducit glossam, proposito nostro admodum aptam: « Quia, » inquit, « malos in conscientia intelligere non omnium est, quoniam humana simplicitas difficile fraudulentiam simulatæ mentis potest deprehendere, ideo solus Deus terribilis et rex magnus inveniet. »

3. — Cajetanus per hunc ingressum, discussionem actualem, que in uniuscujusque iudicio fiet, intelligit: « Intrat Deus iudicio, qui foris manet, tolerando; intrat autem discutiendo, et iudicando singulos, cum in morte visitat, et iudicio suo discutit merita cuiusque morientis. »

4. — Jansenius per hunc ingressum, inspirationes internas intelligit, per quas Deus in hac vita nos visitat et admonet: « Intelligunt mystice impleri

« in vita præsentis, ut tunc intelligatur Deus intrare ad videndum convivas in suis nuptiis, quando interna visitatione cor uniuscujusque commovet et admonet. »

Et vidit ibi hominem.

5. — Valde considerabilis est dictio *hominem*, quæ nescio quid humani et carnalis nobis exprimat. Unde Apostolus Corinthios velut homines carnales, et rixosos reprehensurus, ita scribit, I *Cor.*, iii, 8: *Cum enim sit inter vos zelus, et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* In hisce nuptiis, convivio Agni immaculati accumbendum nobis erit, ad quod quies, unio, puritas et munditia angelica requiritur; qua de re Paulus de Palatio bene scribit dum ait: « En culpa prima in divino convivio, ubi Deus est auctor convivii, et Deus sponsus, sponsa divina et omnia divina: cur miser divinis hominem miscuisti? eo ipso, quo e via ad prandium adductus es, hominem exuisti, Christum induisti, et jam non es homo; sed velut Christus, velut Deus; cur igitur Christum exuisti quo indutus eras? » Unusquisque qui in sacro lavacro regeneratur, harumque nuptiarum factus est particeps, consequenter eodem tempore exuto veteri homine Christum induit, *Gal.*, ii, 27: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis;* culpa igitur et scelus æterna pena puniendum est, hanc vestem abijcere, ut veterem denuo hominem reinduamus. Unde Apostolus nos monet, *Colos.*, iii, 9, 10: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agitionem secundum imaginem ejus qui creavit illum.*

Non vestitum veste nuptiali.

6. — Quæri hoc loco potest, qua ratione rex ille inter innumerabiles convivas presentes, unicum tantum hac veste carentem notare potuerit? Salmeron ait: « Unus tantum eiectus fertur e convivio, et ostendat Dominus, ne unum quidem in tanta turba eum latere posse, nec tutum esse, eo quod unus sit. » De celo respexit Dominus, inquit Psalmista, *Psal.* xxxii, 14, *vidit omnes filios hominum, de preparato habitaculo, respexit super omnes qui habitant terram, qui fecit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.*

7. — At vero inquires, ex quo hic in tot conviviarum societate erat, qui omnes erant eodem vestium splendore ornati; cur ab his monitus non fuit, vestem nuptialem induere, nisi velut ab ipsorum consortio exclusus esse? Ad hoc dubium Lucas Brugenensis respondet: « Facile quidem est, hominem specie pietatis decipere, et frequenter impossibile est hominibus discernere malos a bonis, sed Deum perlustrantem Ecclesiam fallere, aut latere, non potuerunt hujusmodi. »

8. — Quæres fortasse iterum, ex quo numerus perversorum, præcipue vero malorum Christianorum ingens et sine numero existat, quomodo multitudo illa per unum solum representari potuit, veste nuptiali carentem? S. Augustinus, *contra Donat.*, xi, dicit: « In hoc uno homine grande quiddam corpus figurari omnium malorum, ante Domini iudicium, convivio Dominico permissorum. » Jansenius fuscæ hanc difficultatem considerat, eamque utilibus quibusdam, et moralibus responsionibus resolvit: « Unum dicitur vidisse rex, » inquit, « non indutum veste nuptiali, quamquam forte sint plures in Ecclesia mali, quæ boni, tum ut in illo uno uniusquisque discat fidelium, sollicitus esse, ut vitam vivat sua vocatione dignam; tum ut hinc intelligeretur exacta, et diligens consideratio Dei ad vitam et merita fidelium, ne quis sibi persuadeat, se unum in novissimo die in tanta hominum multitudine posse effugere Dei oculos. »

9. — Per hanc porro vestem nuptialem, charitas præcipue intelligitur; unde S. Anselmus legit: « Non ornatum charitate, quæ maxime vestis Dei dicitur. » Non sufficit igitur, ad nuptias ingressum esse, id est, Baptismum recepisse, vel ad participationem Sacramentorum Ecclesie admissum esse, nisi in corde nostro, hic ignis amoris Dei exarserit. Salmeron ait: « Per hunc unum, carentem veste nuptiali, intelligimus omnes eos, qui fidem et fidei Sacramenta habent, sine qua non essent ingressi in convivium Ecclesie, sed charitate et bonis operibus destituuntur. » Lyranus quoque per hanc vestem intelligit charitatem: « Quæ dividit inter filios regni et perditionis; » citatque S. Chrysostomum dicentem: « Quia ea indutus Christus ad nuptias venit, quando ex charitate incarnari voluit. »

10. — S. Thomas quærit: « Quæ est ista vestis? Christus; Christum induamus, qui sumus Christi; » varios autem distinguit modos, quibus per Sacramentum adornari possimus, dicit enim: « Quidam induunt Christum per Sacramentum, » *Gal.*, ii, 27: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis;* quidam sunt in Christo per charitatem et amorem, item per operum confortium; habere ergo vestem nuptialem, est induere Christum, per operationem bonam, per conversationem sanctam, per charitatem veram. »

11. — Origenes, ab eodem Angelico Doctore in *Catena* citatus, ait: « *Vidit non vestitum veste nuptiali, id est, qui non mutaverat proprios mores.* » 12. — Theophylactus per hanc vestem, opera misericordie interpretatur, et forte ad hoc textum ille Apostoli alludere voluit, *Gal.*, iii, 18: *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordie;* dicit ergo Theophylactus: « Quis est iste, sordida vestimenta gerens? is, qui non

« indutus est viscera misericordium, fraternitatem, benignitatem. »

13. — S. Hieronymus de divinarum præceptorum adimpletionem explicat, dicens: « Vestis nuptialis præcepta sunt Domini et opera, quæ complentur ex lege et Evangelio, novique hominis efficiunt vestimentum; si quis igitur in tempore iudicii inventus fuerit sub nomine Christianorum, non habere vestem nuptialem, hoc est, supercelestis hominis, sed vestem pollutam, id est, veteris hominis exuvias, hic statim corripitur et dicitur ei, etc. »

14. — De hac veste Jansenius ita scribit: « Hæc vestis est vita pura et splendida in modum vestis, virtutibus et bonis operibus contexta, hominem que ornans. » S. Bonaventura autem idipsum diu ante illum scripsit, dum *Serm.* in *hac Dominica*, ita ait: « Hæc vestis est optima conversatio bonæ vitæ, quæ melius vestit hominem, quam purpura vel aurum, vestis autem bonæ vitæ necessaria est ad evadendam gehennæ condemnationem. »

15. — Jansenius perpendit non sufficere, intrasse convivii locum, et in eadem cum aliis societate honorari, dignumque, qui mense illi accumbat, haberi, qualis hic utique erat, qui, ut credibile est, ab omnibus eiectus fuisset, si illum tanquam convivio indignum agnovissent, indeque hoc elicit morale dogma: « Non satis alius esse debet, quod sit intra Ecclesiam, nec rursus quod in ea sic sit et sese gerat, ut toleretur a fidelibus, nec eorum conspectui displiceat, sed curandum, ut sic se gerat, ut etiam oculis Domini placere possit; hic enim, qui regis oculis displicuit, satis placuit reliquis convivis, a quibus eiectus prius fuisset, si per turbatorem se molestum exhibuisset; » utique enim se ita fecte composuit, ut omnibus gratus, omniumque oculis dignus videretur, sed nondum erat talis in oculis Dei.

16. — Glossa ait: « Id est, fidem habentem, non opera charitatis, per quam Dominus ad sociandam Ecclesie nuptias venit; » eadem quoque S. Gregorii in *Catena* citati sententia fuit, dicens: « Intrat ecclesia ad nuptias sine veste nuptiali, qui in Ecclesia fidem habet, sed charitatem non habet; » nam juxta Auctorem Imperfecti, *Hom.* xli, « nuptiale vestimentum est fides vera, quæ est per Jesum Christum et justitiam ejus. »

17. — Hugo Cardinalis pariter dicit: « Non vestitum veste, id est, non operibus, licet fide; cum tamen *ides sine operibus mortua sit.* » Theophylactus timendum et tremendum nobis esse dicit, nisi dignis operibus fidei, quam profiteamur, respondeamus: « Horreamus igitur, » inquit, « cogitantes, nisi quia quis vitam habeat puram, et nihil ei proderit pura fides, non solum enim e nuptiis eiecit, sed et in ignem mittitur. » Sicut enim, ut Auctor Imperfecti ait, certum est, quod si



quis veste luto vel fœtidis sordibus coquinata, ad nuptias interveniret, omnem aliorum turbaret letitiam, gravemque defectum committeret: « Ila qui « opera habet tenebrosa et inter Christianos, quasi « unus ex eis conversatur, ipsi Christianitati facit « injuriam; » moxque hanc utilissimam subdit doctrinam: « Homo itaque aut secundum locum « eligat vestem, aut secundum vestem eligat locum; « id est, aut secundum opera eligat professionem, « aut secundum professionem faciat opera: qui « vult esse Christi, faciat opera Christi; qui autem « non vult opera Christi facere, non veniat ad « Christum, alioquin audiet in die Christi: *Amice, « quomodo huc, etc.* » Genes., xxviii, de Jacob scribitur, quod in itinere Aram versus constitutus, subque nocte crepusculum dormiens, scalæ ejusdem visionem habuerit, vertice cœlum, extremitate vero terram tangentis, in eaque Angelos viderit, alios ascendentes, alios descendentes; a somno vero expergefactus, præ metu nimio exclamavit: *Quom terribilis est locus iste; in eodem quoque libro idem Jacob tota nocte cum Angelo quodam luctatus fuisse legitur, qui ipsum in nervo lædens, claudicare fecit et tamen omnino lætus post hanc luctum, dixit, Gen., xxxii, 30: Nunc salva facta est anima mea; quis hic non dicat, Jacobum potius in hoc secundo casu terreri, in primo autem lætari debuisset, quando Paradisum ante se apertum conspexit: Vere non est hic aliud, nisi portu cœli, simulque scalam ad ascensum cœli promptam et paratam, cum tamen e contra post contractum sibi nervum, dicere debuisset, magnum sibi allatum fuisse salutis sue præjudicium. S. Ephrem hanc difficultatem resolvit, dicens: « Ante luctum terribilis erat locus, quem « post certamen suavem appellat, ut scias Paradisum per solam fidem nobis exulem esse quem « opera concivem nobis faciunt; » merito timuit, quando in terra jacens et dormiens, cœlum sibi apertum conspexit, quia gloria non est pro ignavis; at vero quando tota nocte luctatus fuit, tunc vere dicere potuit: *Salva facta est anima mea*, quia passiones et labores juxta nobis conferunt ad regnum æternum. Ad nuptias invitatum esse non sufficit, nisi nos virtuosorum et Christianorum operum nuptialis veste adornemus. Apud Oseam, ii, 20, Deus animæ dicit: *Sponsabo te mihi in fide*, ubi tamen advertendum est, fidem hanc nequaquam nudam esse debere. Unde Hugo Cardinalis super illa verba, Luc., xv, 22: *Date annulum in manu ejus*, per annulum enim, ut recte constat, sponsalia contrahuntur, dicit: « Id est, docete eum habere fidem in opere. » Sponsus in sacris Canticis, viii, 6, Sponsæ dicit: *Pone me ut signaculum super cor tuum*; nec tamen hoc ei sufficit, neque enim solum cor et amorem ejus præterit, sed insuper opera correspondentia, unde adjungit: *Signaculum super brachium tuum*; id quod S. Gregorius ponderans, ait: « In corde*

« sunt cogitationes et in brachio operationes; super « cor igitur et brachium Sponsæ; dilectus et signaculum ponitur, quia in sancta anima quantum ab « ea diligatur, et voluntate, et actione designatur. » Servus Abrahe in Mesopotamiam, filio Domini sui sponsam conducturus, proficiscent, non modo in aures, sed etiam armillas aureas, manibus incedendas secum transtulit, Gen., xxiv, 47: *Suspendi in aures ad ornandam faciem ejus, et armillas posui in manibus ejus*; ut exinde intelligeretur, siquidem omnia in figura contingebant, non sufficere, quod Rebecca, quæ Ecclesie vel animæ figura est, pro auribus ornamentum, id est, fidem habeat, nam fides ex auditu, sed insuper opus sit, ut armillas aureas, id est, bona opera, ex auro charitatis procedentia, in auribus conjugungamus; nam ut Apostolus ait, Gal., v, 6: *Fides per charitatem operatur*, et S. Gregorius, Hom. xxx in *Evang.*, opera, veri amoris notam esse dicit: « Operatur enim magna, « si est, si autem operari renuit, amor non est. »

#### Additiones.

a. — *Et vidit tibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Mirum est quod huic homini successerat Dominus, qua non erat vestitus veste nuptiali, quia annon omnes pauperes, cæcos et claudos curaverat vocari? Quo igitur jure stomachatur? Non iniqua fuit hæc reprehensio, sed justa, quia ut digne huic interesset convivio, non desiderabat Dominus vestem excellentiorem, quæ esset ultra summum statum, sed eam quæ habebat, magis nitidam, complam, expolitam, nec non juxta statum suum accomodatam. Hoc quoque a nobis exigit Deus, qui ut ad convivium æternorum gaudiorum admittat, non petit vestem extraordinariam, id est, non vult omnes obligare ut per excellentem passionis viam ad cœlum transeant, per quam ille cœlum obtinuit, sed ut in tuo statu in Dei famulatu mundus et fidelis vivas; id est, multas aperuit vias faciles, per quas cujuslibet status et professionis homines transire ad salutem æternam possunt.

Observatisne quoniam magnæ illius Cœnæ, Luc., xiv, preparate commensales et convivæ extiterint? Lucas Brugensis de hac Cœna dicit: « Convivium « idcirco vocat, quia mentes hominum dulcissimam « Dei visione satiabat. » Qualitatem autem convivantium Christus illis verbis insinuat: *Eri in viis et plateis civitatis, et pauperes, ac debiles, et cæcos, et claudos introduc huc.* At vero quidnam hæc viæ et plateæ, et quibus Cœnam hæc degustaturi congregantur, significare putas? Nimiram quia in viis et plateis omnis generis homines congregantur, ideo mystice innuitur, quod huic mensæ in cœlo ingens hominum multitudo, ex omni hominum genere congregata accumbit. Similiter quoque emissio in illa huic persimili parabola hodierni Evangelii a rege data fuit: *Ite ad exitus viarum et quoscumque*

advenieritis, vocate ad nuptias. Ubi Auctor Imperfecti ait: Vie sunt omnes professiones hujus mundi, ut puta philosophiæ, militiae et hujusmodi. Dicit ergo: *Ite ad exitus viarum*, ut cujuslibet conditionis homines vocent. Præterea si clare videre vultis, qualiter Christus nullum prorsus hominum genus e Cœlorum regno excludat, observetis velim, quibus allusionibus utatur, quotiescumque in Ecclesiæ suæ annalibus aliquam beati et immortalis regni sui similitudinem describere voluit: *Simile factum est regnum Cælorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo*; ecce tibi ab agricola desumptam similitudinem. *Simile est regnum Cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae tribus satis*; ecce tibi qualiter nec mulierem pambus pensendis operam dantem a Cœlo excludat. *Simile est regnum Cælorum thesauro, quem qui invenit homo, abscondit*; ecce tibi qualiter et divites, debita adhibita cautela cœlesti gloria se dignos efficere possunt. *Simile est regnum Cælorum homini negotiatori*; igitur et mercatores modum habent, quo salvari possunt. *Simile est regnum Cælorum homini regi qui fecit nuptias filio suo*; igitur et ii qui regnis et provinciis præsumt et scepra tractant, etiam inter nuptias regnum istud comparare possunt. Enimvero, cum omnis Christi actio, nostra sit instructio, ipsomet dicente: *Ego sum via, veritas et vita. Ego sum ostium.* Per me si quis introierit salvabitur, advertendum est quod ipse Dominus noster in vita sua per triginta tres annos omnis status, ætatis et conditionis homines conversatione sua sanctificare voluerit, ut per hoc nobis omnes cœli possidendi capaces esse significaret. Sic enim incarnari voluit ex virgine quadam, ostendendo per hoc quantopere statum virginalem super omnes alios status diligat. Hanc autem Virginem nexu conjugali S. Josepho astringi voluit ad insinuandum, quod sibi nequaquam status displiceat conjugalis. Duodennis existens, in medio Doctorem disputationibus assistere, alias quoque sæpe cum Scribis et Phariseis, ac legis Doctoribus familiariter conversari voluit, ut studia litterarum et scientias debita cum moderatione, non plus sapiendo, quam oportet sapere, acquisitas approbare. Item in stabulo inter pastores nasci, eisdemque gaudiosum felicissimæ natalitatis suæ nuntium, præ cunctis aliis annuntiare voluit, ut ostenderet se hujus status laboribus dedisti paupertatem et simplicitatem nequaquam despiciere: *Pater meus Agricola est.* In officina S. Joseph aliquot annis dielium nutritionem suam laborando adjuvit, adimplendo illud Davidis, Psal. cxvii, 2, effatum: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit*; ut hac ratione artistarum, sive mechanicorum vocationem sanctificaret. Propterea cum Principebus synagoga sæpius conversatus fuit, ut regibus, magistratibus, potentatibus, aliisque in hoc seculo honoratis viris spem daret salutis. Fidem laudavit Cen-

turionis, in ejusque domum ingredi non fuit dignatus, ut inde cognosceremus, quod quilibet hominis professio, quantumvis etiam sit periculosa, se per divinæ gratiæ subsidium et assistentiam, ad gloriam habitare queat. Quisnam primus fuit, qui Christo Cœlum ingredienti comitatum præbuit? Certum est quod id latro quidam præstiterit; is videlicet cui Christus in cruce dixerat: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso.*

b. — D. Hilarius ad hunc locum pulchre hanc vestem nuptialem describit: « Vestitus, » ait, « nuptialis est gratia Spiritus Sancti et candor habitus « celestis, qui bonæ interrogationis confessione « susceptus, usque in cœtum regni Cœlorum im- « maculatus et integer perseverat. » Singulariter ponderanda sunt verba: « Vestitus autem nuptialis « est candor habitus celestis. » Iste enim erat vestitus ille, quo iste homo carebat candor seu puritas vite, speciem quamdam, ac odorem celestis patriæ referens; ut exinde jam ostendatur, quod homo ad cœlestem regnum pertineat, qui candorem Angelicæ puritatis in se exhibet. Virtus enim puræ virginitalitatis suos in cœlo natales habet, ideoque velut divinum quiddam in se continens tota natura humana superior existit.

Tametsi S. Paulus Apostolus, virgo esset, corporisque pudicitiam supra modum zelaret, protui ex multis Epistolarum suarum locis facile deducitur, attamen se in ordine ad virginitalitatem nullam a Domino præceptum promulgandum acceperat, aperte protestatur, dicens, I Cor., vii, 25: *De virginibus præceptum Domini non habeo.* Ubi S. Isidorus inquit: « Virginitas admonita tantum, non jussa, sed ideo « tantum admonita, quia nimis excoela. » Et S. Basilius, de vera virginitalitate disserens, ait: « Conjugium naturale est, ubi etiam lex convenientia « naturæ disponit; virginitas vero supergressa « naturam legis vinculis non tenetur adstricta, quæ « incorruptionis excellentem virtutem, Creatori et « auctori legis jure pretiosi muneris offert. » Quia enim virtus est heroica, ideo quoque infrequens est et rara. Unde S. Ambrosius pariter ait: « Sola est « virginitas quæ suaderi potest, imperari non potest, res magis voti quam præcepti, quod enim « gratiæ est, non jubetur sed desideratur. » Idem S. Doctor, lib. I de virginitalitate, sic ait: « Ad rem « pertinet, arbitror, ut quæ sit, et patria, et quis « auctor appareat. Prius ubi sit patria, definiamus; « si enim ibi est patria, ubi genitale solum, in cœlo « profecto est patria castitatis; itaque hic advena « est, ibi incolæ. Quis enim negat, hanc vitam « fluxisse de cœlo, quam non facile invenimus in « terris, nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra descendit. » S. Bonaventura pariter virginitalitatem e cœlo derivari, ibique suos natales habere affirmat, dum ait: « Castitas est virtus origine cœlesti, hanc ipsi Angeli sancti, ab ipsa



« Domino omnium virtutum fontali principio pri-  
« mitus didicerunt et indeclinabiliter servaverunt.  
« Hanc summus et unus Magister noster, qui in  
« coelis Angelorum Magister est, Christus Dominus  
« noster, de caelesti schola ad terras, publice  
« docendo attulit et Matrem suam gloriosam Virgi-  
« nem, perfectam et primam post se hujus disci-  
« plinae magistratam, in cathedra virginis munditiae  
« caeteris mirandam et imitandam praefecit. »

## VERSUS 12.

*Et ait illi : Amice, quomodo huc intrasti, non  
habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.*

*Et ait illi : Amice.*

1. — Quis hic non miretur, quod hominem  
illum eodem, quo ipsum condemnat, tempore,  
pariter amicum appellari? S. Anselmus ait : « Mi-  
« randum, quia hunc et amicum vocat, et tamen  
« reprobat, q. d. amice, et non amice; amice per  
« fidem, et non amice per operationem et charita-  
« tem. » Idem ante ipsum S. Gregorius, *Hom.*  
*xxxvii*, docuit, S. Thomas autem *super Matthaeum*  
ait : « Amicum vocat per fidem, vel quia ipse amavit  
« eum, vel potest dici, quod ubicumque vocat ali-  
« quem amicum, improperando dicit, unde impius  
« perdat amorem, quo amavit eum. » Eadem quo-  
« que est Lucae Brugensis sententia, dicens : « Erga  
« quem tantam ego amicitiam gessi, quod admise-  
« rim ad filii mei nuptias. » Lyranus ad fideles  
alludit, qui tales sunt, sed solo nomine, non vero  
operibus : « Vocatur amicus propter fidem infor-  
« mem, quae Dei donum est, licet non sufficiat ad  
« salutem; » vel etiam, ut idem notat : « Vocatur  
« amicus peccator, per naturam, qua ad imaginem  
« Dei factus est. »

2. — Hoc adeo benigno modo admirabiliorem se  
magis erga reprobos exhibuit divina pietas, ut illos  
ad emendationem et penitentiam inducere atque  
lucrari posset. Hoc amici nomine Judam in horto  
appellare voluit, postquam caput, dux licetorum  
factus fuit, qui eum cum armis et fastibus capturi  
veniebant, qui paulo ante, nuptiis Agni immacu-  
lati, *Apoc.* *xix*, *7*, nuptiae Agni, sine nuptiali veste  
accubuerat : *Amice ad quid venisti?* « Ut intelligam  
« mus, » inquit Jansenius, « Deum non personarum  
« odio, sed justitiae tantum zelo quosdam condem-  
« naturum. » Lucas Brugensis pariter dicit quod  
fuerit « objuratio non ex odio, sed ex justitia pro-  
« facta. » Cajetanus quoque ait : « Nota, prudens  
« lector, quod non contumeliose increpat; non  
« dicit : indignus, praesumptuose, sed *amice*; non,  
« quomodo ausus es? sed, *quomodo huc intrasti?*  
« proponendo interrogative factum simplex, ut ipse  
« seipsum damnet; » idque insigne illorum ad  
exemplum et documentum, qui in tribunalibus

reorum iudicis assistunt : « Ad erudiendum nos,  
« et etiam in notorio facto non iudicemus, et exa-  
« minemus absque contumelia, absque convicio,  
« cum delectatione hominum et odio vitiorum. »

*Quomodo huc intrasti, non habens vestem  
nuptialem?*

3. — Quod si hic in illa veste, qua in campis,  
unde invitatus fuerat, indutus erat, ad convivium  
receptus fuisset, adhuc aliquem habitus excusa-  
tionis praetextum; at vero, ut Paulus de Palatio ait :  
« Non vitio vertitur misero illi, quod sine veste  
« fuisset in sepibus et exitu viarum, sed quod ves-  
« tem in ipso liminis ingressu non conservavit, sed  
« amisit. »

4. — « *Quomodo huc intrasti, etc.*, id est, » inquit  
Dionysius Carthusianus, « qua praesumptione intra  
« Ecclesiam habitas, et inter fideles apparuisti,  
« Sacramentis quoque communicasti; » quod idem  
est cum eo Alberti Magni, super hunc textum  
scribentis : « Quomodo ad numerum fidelium, et  
« Sacramentorum participationem, ad Ecclesiasti-  
« cum officium vel beneficium intrasti? quis te  
« adduxit huc? quod hic agis? quam ob causam  
« huc venire voluisti? » Idem quoque imprope-  
rium, ut idem Albertus considerat, Praelatis ob-  
iectur, quibus utique exprobrabitur : « *Quomodo  
« huc intrasti, quomodo vixisti, quomodo rexisti,  
« quomodo huc intrasti, non veniens per ostium.* »

5. — Jansenius ad diem Iudicii finalis se reflex-  
tens, suasee hinc verbis, perversis Christianis  
transgressionibus improperandas esse existimat; unde  
dicit : « Significat in novissimo die Deum severe  
« reprehensurum eos, qui fidelibus permixti, non  
« vixerunt vitam dignam fidelium consortio. »

6. — Salmeron per hanc vestem, sacrum lavacrum  
intelligendum esse declarat : « Etsi enim per  
« baptismum in ingressu illam vestem habuerit,  
« de qua dicitur : *Accipe vestem candidam et inma-  
« culatam, quam perferas, etc.*, postea tamen suo  
« vitio illam amisit. » Paulus de Palatio, nullam ab  
homoine injuriam committendam fuisse consi-  
derat, si solum hac veste carisset, priusquam ad  
convivium ingrederetur, vel etiam in foribus illius  
et in ingressu ad illud; cujus rationem reddit  
dicens : « Baptismus siquidem janua est Ecclesiae,  
« ante baptismum vero, et in ipso baptismo, non-  
« dum gratiam habere et nondum Christum induisse  
« commune est, post ingressum vero per baptismum  
« januam, jam non licet sine veste coram rege  
« comparere. » Pergit ulterius hujus vestis ostende-  
re praestantiam et pretiositatem, nec non gravita-  
tem injuriae, quam donatori illius irrogamus,  
omittendo eam : « Est vestis tibi concessa pretio-  
« sissima; magno sumptu texta, lota est in sanguine  
« Agni; gravissima est injuria illam amittere, eo  
« praesertim quod ea veste amissa, necesse est, luc-

« tuosa veste, imo infernali, vestiri; » juxta illud  
Isaiae, *ix*, *5*, *6* : *Vestimentum nictum sanguine erit ei  
in combustionem et cibus ignis, Parvulus enim natus  
est nobis, et Filius datus est nobis;* q. d. qui candore  
vestimenti, nobis in baptismo collati, iniquita-  
tum suarum sanguine conspurcaverit; ignis infer-  
nalis esca erit, quia injuriam facit nuptiis, id est,  
incarnationi et redemptioni Verbi incarnati, quod  
ad salutem nostram a Patre nobis datum est. Terri-  
bilis est illa S. Petri sententia, qua melius nobis  
futurum esse dicit, si ad hasce nuptias nunquam  
invitati fuisset, aut veste nuptiali pro ingressu  
eis nunquam induti fuisset, quam si illam semel  
habitam et receptam, propria culpa amittamus,  
*II Petr.*, *ii*, *21* : *Melius erat illis non cognoscere viam  
justitiae, inquit Apostolus, quam post agnitionem  
retrosum converteri.*

7. — S. Ambrosius, *Serm.* *ii* in *Psal.* *xviii*, ait :  
« Qui calorem fidei non habet, tolerabilis illi  
« fuerat, fidem non accepisse, quam neglexisse,  
« melius enim tali futurum fuisset, si inter idola-  
« latriam tenebras natus et educatus fuisset, quam  
quod in clara Evangelii luce, in tot errorum et  
scandalorum scopulis impegerit. »

*At ille obmutuit.*

8. — S. Lucas Brugensis ait : *Copistratus est.*  
Arias verit : *Ore ocellus.* Quis hic non diceret,  
miserum hunc hominem, jure se excusare potuisse,  
dicendo, vel quod ex improvviso, non domi, sed in  
itinere et in campis invitatus fuerit; vel quod invi-  
tator nimis acceleraverit, nec tempus dederit, ut  
vestis mutandae causa, domum repeteret; vel etiam  
quod pauper et egenus fuerit, adeoque veste muta-  
toria caruerit, nec censum habuerit ad aliam com-  
parandam? quomodo ergo dicitur obmutuisse, aut  
cur dictas excusationes non adduxit, nimirum quia  
in ingressu ad locum convivii, unicuique vestis  
nuptialis offerebatur, ideoque mera negligentia et  
ignavia fuit, illam vel non accepisse vel amisisse;  
ideoque quid in propria defensionem responderet,  
non habuit? Invitatus enim erat ad nuptias, nec  
alius quid rex ab eo requirebat, quam ut oblatum a  
rege honorem, et beneficium immensum agnosceret,  
et pro dignitate aestimaret. Chrysologus, *Serm.*  
*xii*, de Deo nostro, ad regnum suum nobis confe-  
rendum avidissimo dicit : « Ut emere illud omnis  
« homo possit, tantum petit pretii, ut quantum  
« hominem scit habere. » S. Anselmus super verbum  
*obmutuit*, haec verba velut Glossam adjungit :  
« Quia argumentum excusationis male sibi conscius  
« non habuit. »

9. — Albertus Magnus textum illum Isaiae,  
*xxxviii*, *15*, adducit, ubi dicitur : *Quid dicam, aut  
quid respondebit mihi, cum ipse fecerim?* eademque  
verba misero huic homini adaptat, sicut et dictum  
illud Jobi, *ix*, *3* : *Si voluerit contendere cum eo, non*

*poterit respondere unum pro mille, ideoque subjungit  
illud Ecclesiastes, ix, 8 : Omni tempore sint vesti-  
menta tua candida.* Quenam vero haec sordida vestis  
fuerit, per quam adeo factus est abominabilis,  
Chrysologus docet, inquiens : « Ingredi cum sor-  
« didis vestibus significat cum vita impura hinc  
« abire, quocirca et obmutuisse scribitur; » infalli-  
bile namque fidei veritatem esse novimus : *Non  
intrabit in eam aliquid inquinatum, quomodo igitur  
hanc munditiam negligendo, vivere possumus?*  
idem quoque sanctus Pater omnes illos, qui lotum  
suum studium in exproliendis vestibus, quae corpus  
adornant, non vero iis, quae animae propriae sunt,  
collocant, sequentia ad verba ejus auscultanda invi-  
tat, dicens : « Audiatis mulieres, audiatis viri, quia  
« non est opus vobis hic aureis, sed illis interio-  
« ribus ornamentis; scilicet, quomodo, quoadusque  
« illa retineamus, difficillimum est illis uti, non  
« enim possumus corpus, et animam simul exor-  
« nare; » quodsi ad comparandum in hisce nuptiis,  
purpura et bysso nobis opus esset, vel pauperibus,  
et ideo id a nobis non requiritur, sed dimidia  
chlamys militaris, ense per medium divisa, ad  
Paradisii nuptias aditum aperuit etiam illi, qui  
adhuc catechumens erat; quia enim S. Martinus  
compassione in pauperem commotus, chlamydem  
suam dimidiam illi largitus fuisset, Christus in  
paupere illo latens, in conspectu Angelorum eam-  
dem veluti Paradisi meritum exhibuit. *Non est, qui  
se abscondat a calore ejus, dicit non immerito de hac  
veste nuptiali potest, nam cuius animae in ingressu  
Ecclesiae haec vestis conceditur, Rom.*, *v*, *8* : *Charitas  
Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanc-  
tum, qui datus est nobis.* Unde Hugo Cardinalis super  
ea verba : *Non est, qui se abscondat*, hanc Glossam  
adhibet : « Nec est, qui se possit excusare, quin  
« eum diligere non possit. »

10. — Venerabilis Boda futurum esse dicit in  
novissimo iudicio, quod conscientia propria unum-  
quemque reum tanta cum vehementia mordebit,  
ut, quid in sui excusationem reponat, invenire non  
possit : « Ille foris enim increpat, qui testis con-  
« scientiae animam intus accusat. » Lyranus quoque  
ait : « Nullus potest respondere Deo, sed propria  
« arguente conscientia convincitur et mutus effi-  
« citur; » nec mirum, quia ut S. Hieronymus con-  
siderat, caelum et terra in die sua contra nos  
testimonia producent : « In tempore enim illo non  
« erit locus poenitentiae, nec negandi facultas, cum  
« omnes Angeli et mundus ipse testis sit peccato-  
« rum; » unde et Interlinearis dicit : « Non locus  
« negandi ibi est, et ideo, quid sum miser tunc  
« dicturus? » — « Quid enim dicit, » inquit Pat-  
lus de Palatio, « cui monstrantur tot Dei beneficia,  
« tot ab eo impensa auxilia, tot instituta remedia,  
« toties Deus contemptus, toties violata Sacra-  
« menta. »



11. — Quod si quaeratur, qua ratione fieri poterit, quod nullus convivarum praesentium, se apud iratum regem interposuerit, maxime cum omnes habitu nuptiali, qui symbolum erat caritatis, vestiti fuerint, ipseque Apostolus, 1 Cor., xii, 15, dicat: *Pro invicem solliciti sunt membra; si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra?* Respondetur, quod cum processus ille regis adversus miserum hunc hominem, iudicium praefigere, quod in articulo mortis, circa quamvis animam instituendum erit, ideo tunc omnis intercessio cessabit: « Quem patronum rogaturus, dum vix justus « sit securus? » et Cajetanus ideo ait: « Coram « divino iudicio nulla est exceptio, ipsa namque « veritas palam accusat, convincit, confundit. »

12. — Auctor Imperfecti, nullum tunc nobis superiorum esse effugium notat, quia *illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* « Hic quidem, » inquit idem auctor, Hom. xlii, « abscondimus opera nostra, invicem corda « nostra celamus; in illa autem die nihil erit, quod « respondeamus, ubi caelum, et terra, et aqua, et « sol, et luna, et dies et noctes, et totus mundus « stabit adversus nos in testimonium peccatorum « nostrorum et si omnia taceant, tamen ipse cogi- « tationes nostrae et nostra opera stabunt ante oculos « nostros, accusantes nos ante Deum. » Pergit idem auctor ultra dicere examen contra malos Christianos, rigorosissimum instituendum esse, adeo ut omnino convicti et confusi sint remansuri: « In cogitationibus impii interrogatio erit, et « interrogat eum, quae sunt opera ista, quae agis, « quia non sunt opera Christiani? Ut quid factus es « Christianus, si haec opera diligebas? ita ut non « habeat, quod respondeat contra conscientiam « suam. »

13. — Lucas Brugensis punctum illud tangit, cuius paulo ante mentionem fecimus, nimirum neminem in illa die allegare posse paupertatis praetextum, quo minus sibi de hac veste prospexerit, multo minus per ignorantiam se excusare: « Si « studiosi fuerint audiendi verbi Dei, Deum, qui- « bus offert nuptias, vestes non negare; » unaquaque anima novit, quam noster Deus liberalis imo prodigus erga nos sit, in ministrandis nobis cunctis auxiliis suis, ad nostram salutem necessariis, at nos illa insolenter contemnimus: *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae et non feci? Isa., v, 2.*

14. — Galfredus in allegoriis tempus notat, in quo rex ille iram suam contra illos exerturus sit: « Tunc videlicet non ubi ille sine veste nuptiali « introivit, sed postquam admonitus siluit, interro- « gatus obmutuit et noluit confiteri. » Quam enim excusationem anima aliqua in mortis articulo adducere poterit, dum ei exprobrabitur, quod remedium ad sui salutem adeo potenti, securo et facili, quale confessio peccatorum suorum erat, usa non

fuerit? *At ille obmutuit.* Nesciet, quid respondere debeat, ac proinde confusa remanebit et convicta; at vero cur obmutuit? quia os suum ad confitendum aperire noluit, cum tamen ore *fuit confessio ad salutem.* Divus Chrysostomus super illa Psalmi cx, 1, verba: *Confitemini Domino, quoniam bonus, appositam ad propositum, ita loquitur: « Non peccator jam « poterit excusari, qui confessionem, per quam « venia nascitur, noluit amplecti, » adeoque simul ostendit, talem duplicis reatus penam mereri: « Dum primo legem contempsit, ut delinqueret et « confessionis remedia amplecti noluit, ut peri- « ret; » et consequenter exhortatur peccatorem, ut os suum aperiat ad frequentem confessionem: « Confessio offert salutem, » inquit, « cui con- « templus attulerat mortem, vivet remediis, qui « moriturus fuerat aliquando peccatis. »*

## VENUS 13.

*Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mitte eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.*

*Tunc dixit rex ministris.*

1. — S. Thomas, in *Math.*, hic quaerit, quare rex tanta cum severitate pauperulum hunc punierit, maxime « quia vocavit bonos et malos? » Respondet autem: « Sed noluit, quod mali venirent, nisi pararent se et disponent se, ut essent « boni. »

2. — Sed cur nuptiarum laetitiam per adeo funestum spectaculum turbare voluit, maxime quando tam insignia benignitatis suae insignia ediderat, cur supplicium hoc in aliud usque tempus non distulit? S. Ambrosius, *Serm. in de Nat.*, opinatur, regem hunc adeo graviter in hunc hominem animadvertisse, ut hypocrisis peccati gravitatem et enormitatem insinuaret, utpote pro quo puniendo nullus habetur, sive temporis, sive loci, sive personarum respectus, et certe rem hanc bene consideranti patebit, Christum de hoc vitio vix unquam locutum fuisse, nisi adhibitis aeternae damnationis comminationibus, quotiescunque enim hujus vitii meminit, vocem *ae* semper adhibere consuevit: « Propterea ergo ligatis manibus et pedibus, in tenebras exteriores expellitur, non « solum quia peccator erat, sed quia, cum peccator « esset, sanctitatis sibi meritum vindicabat. »

3. — Miser hic etiam Christianum praefigurabat, qui ad fidem vocatus, nuptialem sacrosanti lavari vestem suscepit quidem, sed eandem postea contaminavit, certum namque est multo crudelioribus malos Christianos quam infideles tormentis cruciandis esse; qui merito ad demoniorum condemnati sunt societatem, utpote similes iis facti, secundum S. Jacobi doctrinam, iniquitatis: *Tu*

*credis, quoniam unus est Deus, et bene facis, et daemones credunt, et contritescunt; nec tamen eo quod credant, in statu salutis existunt; quem etiam textum S. Augustinus, Serm. xxxvi de Sanctis, adducens, ait: « Qui credunt, et opera bona non faciunt, « fidem demonum videntur habere. » Concludit tandem S. Jacobus: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?* Cum igitur ii, qui credunt in Deum, nec tamen illi, quod credant, conformiter agunt, justum etiam est, ut eorum sint in pena consortes. Divus Chrysostomus, *Hom. xli in Math.*, contra malos Christianos ita discurrit: « Quibus te iudicis ego Christianum potero agnos- « cere? an quia sacrali aquas fontis ingressus es? at « hoc ipsum, quod tibi datum fuerat ad salutem, « fit tibi gravius causa supplicii; » cujus efficacissimum adducit rationem, dum ait: « Honoris « siquidem magnitudo his, qui non digno vivunt « honore, cumulus incipit esse poenarum. » Salvianus Episcopus Massiliensis ad auxilia, quae Deus nobis contulit ad salutem, item ad vocationis nostrae dignitatem, ad lumen quoque, notitiam et religionem, ad quam sumus vocati, sese reflectens, concludit: « Omnis Christianorum culpa, divinitatis « injuria est; atrocius sub sancti nominis profes- « sione peccamus, ipsa enim errores nostros reli- « gio, quam profitemur, accusat. »*

*Ligatis manibus et pedibus.*

4. — S. Antonius de Padua ait: « Ligatur ibi « pena, qui hic a malo noluerunt ligari, id est, « cohiberi; ibi singula membra poenis subjicientur, « quae hic singulis vitis servierunt; » quia ut Hugo Cardinalis ait: « Pedes veloces fuerant ad effunden- « dum sanguinem; manus non extendit ad paupe- « res. » Glossa scribit: « Manus tuae non extense « ad eleemosynam, pedes tardi ad bonum. »

5. — S. Maximus considerat, hunc hominem militiori atque pena puniendum fuisse, nisi adeo praesumptuose honorum se societati immiscuisset, ut et ipse talis appareret: « Qui poterat minus dis- « pleuitesse forsitan, si in consortium iustorum « minime se dedidisset, » hoc enim faciendo, fiete videri voluit bonus et per hoc majorem aliis nau- seam attulit; unde, ut bene advertit Divus Chrysostomus, *Hom. ix in Joan.*: « Hoc pacto rex et nuptias « et convivas honorat, cum temerarios et impuden- « tes expellit, aliter reliquos invitatos offenderet. »

6. — Queri hoc loco potest, unde in hoc nuptiarum loco, fuses ad ligandum acceperint et alia similia instrumenta? S. Augustinus ait: « Non ergo « esset unde illi ligarentur manus et pedes, nisi « ipse fecisset restim; funibus peccatorum suorum « unusquisque constringitur. » Job, xviii, 8, de peccatore loquens, inquit: *Immisit in rete pedes suos et in maculis ejus ambulat, tenebitur planta*

*illis laqueo; ubi S. Thomas ait: « Sicut ille, qui « se sponte ingerit ad peccandum. »*

7. — Lucas Brugensis mysterium hujus manuum et pedum ligaturae per id, quod iis, qui mortis reatu obnoxii sunt, accidere solet, sic explicat: « Ligantur reis mortis manus, ne se defendere, « pedes ne fugere; atque ne quovis se modo « juvare possint; » intelligenda est itaque inevitabilis reprobatorum poena, absque ulla facultate defensionis et liberationis spe. Dionysius Carthusianus ait: « Per hoc nil aliud designatur, nisi inevitabili- « litas divini iudicii, cui resistere et a quo fugere « nemo valet. »

8. — Lyranus ideo manus et pedes ligari dicit, « quia post mortem nequit peccator bonum ope- « rari, nec ad salutem reverti. »

9. — S. Anselmus ait: « Ligantur tunc manus « et pedes, per restrictionem sententiae illis, qui « modo a pravis operibus ligari noluerunt per me- « liorationem vitae; pedes, qui visitare aegrum « negligunt; manus, quae indigentibus nihil tri- « buunt, a bono opere ex voluntate ligatae sunt; qui « enim nunc sponte ligantur in vitio, tunc involti « ligantur supplicio. »

10. — S. Hieronymus aliam reddit rationem hujus ligaturae, nimirum ut peccator ab offensa Dei desistat: « Ut male operari et currere desistat ad « effundendum sanguinem. »

*Mitte eum in tenebras exteriores.*

11. — S. Gregorius duplices poenas distinguit, quarum aliae sunt internae, aliae externae; « interio- « res sunt caecitas cordis, exteriores, aeternae dam- « nationis nox. » Venerabilis Beda his verbis idem scribit: « Exteriores aeternam noctem damnationis, « in quam invitatus tunc projicitur, qui nunc sponte « cecidit in peccatum. »

12. — Psalmista, *Psal. cxxxviii, 12*, ait: *Sicut lumen ejus, ita et tenebrae ejus, quia juxta proportionem luminis et notitiae Dei, quaevis anima Christiana in tenebras inferni abyssi torquebitur.* Hugo Cardinalis ait: « Quia hic habuit interiores tene- « bras, usque in aeternum non videbit lumen; » et ideo Job, x, 20, infernum nominat, *terram tenebrarum et operam mortis caliginis, ubi umbra mortis et sempiternus horror inhabitat;* quia tametsi verum sit, quod igni proprium sit, lucere, nihilominus vox *Domini intercedentis flammam ignis, lucem* ab illo igne separat, solumque fumum, et activitatem, et voracitatem flammæ relinquit. S. Gregorius verba illa Psalmi xviii, 9: *Supercecidit ignis, et non viderunt solem, ponderans, ita scribit: « Ignis quidem super « impios cadet, sed sol igne cadente non cernitur; « quia illos, quos gehennae flamma devorat, a « visione veri luminis caecat, ut foris eos dolor « combustionis cruciet et intus poena caecitatis obs- « curet. »* Enimvero si forte modicum aliquod



lumen inter damnatos penetrare possit, idipsum ad majus illorum tormentum ipsis immittitur. Unde S. Isidorus ait: « Ignis gehennæ lucet miseris ad miserie augmentum et damnationem, ut videant impij unde doleant, et non ad consolationem, ne videant unde gaudeant. »

*Ibi erit fletus et stridor dentium.*

**13.** — « Ut scilicet illic dentes stupeant, » inquit S. Anselmus, « qui hic de edacitate gaudebant; » et oculi defleant et doleant, qui hic per illicitas concupiscentias versabantur. » Idem quoque S. Antonius his verbis docet: « Fletus oculorum in vanitate vagantium et stridor dentium, qui de edacitate vagati sunt et bona pauperum devoraverunt. » Idem quoque in hisce verbis, duo aeternæ perditionis supplicia insinuari notat, ignem videlicet ac frigus: « In his duobus signantur poenæ majores inferni, scilicet ignis et frigus; » procedit ex igne fumus, qui fletum provocat, ex frigore provenit stridor dentium. »

**Additiones.**

**a.** — *At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, etc.* Interrogatur homo, quare ingressus sit sine veste nuptiali, et ille, nullo responso dato, mox obmutescit. Tunc autem ait rex ministris: *Ligatis manibus, etc.* « Tunc videlicet, » ait Galfridus, *apud Titelman.* « non ubi ille sine veste nuptiali introivit, sed postquam admonitus siluit, interrogatus obmutuit, noluit confiteri. » Ingressus rex convivium, et intuitus pannosum præter morem nuptiarum, non statim eum damnat, sed benigne ab eo querit: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.* Non perdidit miser, quia male intraverat et inique sedebat, sed quando obmutuit et peccatum suum palam confiteri recusavit. Damnatur ergo non tam ob vestis defectum quam ob negatam oris confessionem. Detestabiles enim sunt, quotquot a confessione abhorrent, in eoque frequenter applicando remedio vivunt negligentes. Solidam atque indelebilem meretur notam dignissimum, quem in hac confessionis materia, magnus quidam spiritualis Magister format conceptum. Penitentia, inquit ille, est quedam arca depositi, in qua repositi sunt Christi Salvatoris nostri thesauri, omnes meritorum ejus divitiæ, inestimabile redemptionis nostræ pretium. Hæc aperitur omnibus ejusdem fructuonis cupidis, tantum ad ipsa pretium extrahere valentibus, quantum ad totius sui debiti abundant solutionem. Quam insanabili ille insanie malo laboraret, qui multis obstrictus debitis, ditissimum offenderet thesaurum, ex quo juxta debiti qualitatem, toti sibi licite tollere posset pecunias, quot sufficeret ad omnimodam satisfactionem, ille vero manibus otiosis

sperneret favorem? Ita et insanit qui a confessione abhorrent, in eoque frequenter sibi applicando remedio vivunt negligentes. S. Laurentius Justinianus, ut nos ad accelerata confessionis frequentiam inducat, diversos ejusdem, omnesque egregios adducit effectus, inquit: « Quicumque deliquisse se meminit, ad confessionis remedia, quanto potest citius recurat; nam delicti concessio veniam impetrat, gratiam promeretur, huc militiam nutrit, Cælum aperit. » Neque minus efficaciter S. Bernardinus discurret dum ait: « Sabito cum peccasti, vadas ad confitendum; quia quemadmodum in domo cum accenditur ignis, subito exclamas; ita cum peccasti, subito vadas ad clamorem confessionis, ad extinguendum peccatum. » Nisi ignis mox in principio sapiatur, proficit et incrementa capit; ita etiam peccatum, si tantisper in anima toleretur, et non extirpetur, prolium augmentatur. Unde S. Gregorius Magnus inquit: « Peccatum, quod penitentia non diluit, mox suo pondere ad aliud trahit. »

**b.** — Tota hujus hominis culpa in hoc consistebat quod ingressus esset sine veste nuptiali. Et statim ingressus rex mandat ministris: *Ligatis manibus ac pedibus, etc.* Aliter tamen factum fuisse legitur apud Zachariam, III, 3, ubi Scriptura refert: *Et Jesus, nempe Josedech filius, erit indutus vestibus sordidis, et stabat ante faciem Angeli. Qui respondit et ait ad eos, qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum. Ecce abstuli a te iniquitates tuas, et indui te mutatoris.* Ecce in utraque historia a D. Mattheo et Zacharia descripta representatur aliquis vestibus sordidis indutus. Illam Rex acerrime percussit; hunc Angelus vero ad meliorem fugam trahit, sordidam aufert, et candida resumit facit. Cur rex et Angelus tam diversimode se habent? Ad questionem respondet Theodoretus apud Zachariam: « Angelus populi tutor aliis astantibus Angelis præcipit, ut ex illis vestibus eum exuerent. » Rex supremus Dominus jus dicebat, quapropter in reum iratus, eum tortoribus tradit. Angelus vero, ut populi tutor, sordidum non spernit, sed omnibus modis ejus salutem negotiatur, eumque ad candorem vitæ tradit, ut mortem evadat. Rex ille Filium Dei nobis præfigurat, qui in casu quo anima in puncto sive articulo mortis inventa fuerit peccata vestis charitatis denudata, eidem in particulari judicio quo circa quamlibet animam instituitur, implacabilis Judex futurus erit. In visione autem Zachariæ benignitas nobis indicatur Angelorum, qui Satana nos in judicio accusante, peccata nostra cooperire et tegere salagunt: *Et Satana stabat a dextris ejus ut adverseretur ei.* Zach., III, 2. Nos excusant, defendunt, nuditatemque nostram virtutum habitibus contegunt, et bona opera nostra Deo Judici representant, ac demum furorem Dei, quoad

possunt placare sudent. *Et Angelus Domini stabat.* Glossa super verba S. Stephani, apud S. Lucam, Act. Apost., VII, 53, dicens: *Vide Jesum stantem,* ita ait: « Per stantem habitus auxiliantis et pro se servis pugnantis ostenditur. » Enimvero an aliquis Angelorum illi convivio in quo alter non habens vestem nuptialem, condemnatus est, interfuerit minime constat; at vero in hac visione Zachariæ, Sacerdotem magnum quaquaversum Angelis circumdatum, eorumque precibus Deum permotum inimicum infernale repulsiæ claris verbis describitur: *Et dixit Dominus ad Satan: Incepit Dominus in te Satan, et increpet Dominus in te, qui elegit Jerusalem. Numquid non iste fortis est erutus de igne? Væ proinde nobis nisi coalesces illos spiritus defensores nostros habuerimus? Audite enim S. Laurentium Justinianum hac de re loquentem: Quis nisi angelico fullus esset auxilio, tam immansissimum hostium valeret superare rabiem, effugere laqueos, tentationes vincere, fraudesque detegere? S. Thomas de Villanova sollicitudinem et zelum Angelorum quo pro nobis mediatores existunt, per sequentem similitudinem demonstrat: « Sicut vir zelat uxorem, ita Angelus animam cui datus est in custodiam, ne videlicet cum peccato simo demone committat adulterium. » — « Discit currit demone intravit. Deum et animam, vota offrens, referens dona, » ut inquit S. Bernardus, « illam ad amorem excitat, illum ab offensa placat. »*

**c.** — Tametsi regis oculis publice in manifesto scelere deprehensus, homo ille veste nuptiali non indutus, rite tamen de restu interrogatur, si forsitan aliqua excusatio suppetat, que crimen aut extenuat, aut excusat. Dum autem reus omnia signata muta taciturnitate, ad tenebras exteriores damnatur. Ergone nemo audeat adest, qui Regis amicus, in die tante lætitiæ, vel verbum reo concedat, quo sine festivo gaudio omni tristitia careat, Herodianæque cœnæ dissimile maneat? Scilicet hic miser reus, cujus scelerosus infelix causa tam cito, et discussa, et damnata est, typum cujusvis gerit Christiani, qui ex quo fidem suscepit, Christusque sub vexillis regis diu militavit, demum vero rebellis veniam non meretur. Christianus enim, qui habitæ lumine fidei, sciens et volens peccat, in tantum aggravat culpam suam ut venia et compassione haud dignus sit. Et ideo destinatur ad tenebras exteriores. « In tenebris siquidem positus, » ait Galfridus, « jam non intas, foris erit, alienus sequi dem a luce veritatis, sed ab eo palam et publice redargutus, » ut in omnium oculis proset evidentia damnati criminis, omniumque oculis expositus, justissimum illius condemnationem cuncti approbent et illius reatum palam videant. Quodamtenus enim excusabiles sunt qui per ignorantiam peccant; omni autem supplicio digni, qui in Christi

conelavi gravitatem peccati agnoscent et nihilominus peccant.

**d.** — Eleganter S. Cyrillus Hierosolymitanus, in *Catech. præfat.*, inquit: « Circumiens singulos concivias, et circumspiciens, vidit quemdam externum non habentem vestem nuptialem, dixitque illi: *Amice, quomodo huc intrasti? Quo colore? Qua licentia? Esto: ostiarius non prohibuit; ignoras quo amictu ingrediendum esset ad convivium? Si ita, sane. Sed cum jam intraveras, vidisti splendida discumbentium vestimenta; nonne te oportuit ex his que cernebas, disicere? Heu crimen magno lendum! Illi enim qui majorem habentes rerum divinarum notitiam et scientiam, Deum offendunt, majora merentur supplicia. Salvator noster, Luc., XII, 47, sic protestatur: Qui cognovit voluntatem Domini sui et non fecit juxta voluntatem ejus, vapulabit multis. Hæc verba quissa non indigent, quia clare satis exponunt, quod quisquis voluntatis Domini sui conscius, illam non adimpleverit, tanto majori cum rigore ab illo sit castigandus. Iam alias S. Isidorus sententias, hanc quoque doctrinam tradidit legitimus: « Quid sit iram Dei mereri, quod vero provocare, prudens lector scire debet; gravior namque ira est que provocatur, quam ea que meretur, nam meretur, quando ignorans peccamus; provocamus quando scimus bonum facere, nec volumus. » Dicitur igitur nunc sodes, si iram Dei provocamus, quando virtuose vivere scientes, idipsum facere negligimus; quanto magis divina ira fulmina merebimur, et irritabimus, quando prævia scientia et lumine mortaliter illum offendimus. Qui cognovit voluntatem, etc.*

**e.** — Quidquid Dei est, lucidum est, undique radiat et splendet; frunturn enim Dei opera, perpetuo lumine; imo ipsa diem efficiunt et bonos semper faciunt videre. Sola diaboli operatio tenebrosa est, et hominum peccata longas effingunt tenebras. Fallor nisi ex his tenebris, ligantibus pedes, manisque non pateant peccati mala, in ream animam derivantia. Quæ mala sic obtenebrant mentes humanas, ut illas omnino reddant inefficaces ad opera salutis aeternæ. Et sic ligant miseram, ut nihil jam liceat, nisi tenebras expectare. Utrumque hic respexit Dominus, cum eum qui sine veste nuptiali, hoc est, in peccato accesserat, alloquitur: *Ligatis manibus;* ubi enim deficit gratia, et peccatum adest, nullum opus esse potest, quod ad salutem aeternam valeat; omnia opera redduntur inutilia. « *Ligatis,* » inquit S. Hilarius, *Hom. 1 in Ascen., manibus et pedibus,* id est, damnatis operibus et cursu totius vitæ, *ejicite eum in tenebras.* Nullum « opus fit sub peccato mortali luci aeternæ aptum. » Deus, per Ecclesiasticum, apertis verbis se declarat, quod oblationes et dona impiorum acceptare atque illorum causa iisdem propitiari aut parcere nolit,



quia quantumvis opus aliquod in se perfectum sit et sanctum, si tamen anima facientis illud est, propter mortale peccatum, extra Dei gratiam constituta, apud Deum non est meritorium. *Eclii.*, xxix, 23 : *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur peccator.* Sapiens pariter in duobus Proverborum suorum locis hanc eandem veritatem insinuat, nam *cap. xxi, 27*, ait : *Hostiæ impiorum abominabiles, quia offerantur ex scelere.* In *cap. xv, 8*, ejusdem libri similiter dixerat : *Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota iustorum placabilia.* Abominatio est Domino via impij; qui sequitur justitiam, diligitur ab eo. Apud Isaiam Deus populum suum sacrificia sua et victimas in altaribus templi offerentem, interius vero cordis templum, templum Dei quod estis vos, innumerabilem scelereum sanguine contaminatam, his verbis affatur, *Isa.*, i, 11 : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Holocausta arietum et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum et hircorum nolui. Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi, iniqui sunt cætus vestri; calendis vestras et solemnitates vestras odovit anima mea. Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* At vero dicit quispiam : Numquid omnes hi actus in prædictis verbis recensiti, actus sunt religionis erga cultum divinum? De hoc nullum est dubium. Cur igitur Deus omnes illos actus non solum inutiles esse, sed et sibi displicere declarat? Ecce tibi hujus rationem : *Manus enim vestrae sanguine plenæ sunt. Auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perverse.*

**f.** — Maxima consideratione dignum est quomodo in domo tanta festivitate præparata, inventi sunt funes et vincula quibus homo penderetur. Quomodo etiam in promptu fuerunt carniificæ, a quibus sine ulla mora homo deduceretur in caveam tormentorum. Aderat plane ipse iniquus, nullis criminibus onustus; et ubi tot erant scelera, statim in ipso homine apparuerunt vincula, quibus ligaretur, ac asportaretur a quibus in tenebras exteriores demergeretur. Quot enim in homine erant peccata, tot in ipso mortis laquei atque sui carniificæ. « *Meministis,* » ait D. Augustinus, *Enar. in Psal. cxxx,* dictum de quodam peccatore : *Ligatis illi manus et pedes, et projicite illum in tenebras exteriores.* « Non ergo esset unde illi ligarentur manus et pedes, nisi ipse sibi restem fecisset. » Flagella namque quibus Deus peccatores castigat, hæc sæpe in manibus iniquorum invenit. Unde alio in loco scriptum est : *Fimbriæ peccatorum suorum constringentur.* *Prov.*, v, 22. Sic enim peccatum peccatores constringit, ut per effrenes appetitus suos, suisque carniificæ efficiat. Vincula namque sunt peccata, quibus nosmetipsos stringimus; dumque oculos in

voluptates deligimus, amaritudinem latentem hand attendimus.

**g.** — *Ibi erit fletus et stridor dentium.* His effectibus penarum acerbitas exprimitur, nam fletus summum dolorem, stridor dentium summum horrorem indicat, denotaturque inevitabile esse damnatorum penam, cui nullus potest resistere. Unde S. Augustinus, *Serm. i de phiribus Martyr.*, ait : « O quisquis es flagitiosus, qui soles propter tua malefacta et lasciva adulteria non solum tenebras non abhorrere, sed querere; non tales tenebras habebis, ubi gaudes; non sic erunt ipse tenebræ; Quomodo erunt? *Ibi erit fletus et stridor dentium.* » Tortor sine defectu, tortusque sine defectu. Grave ergo malum peccatum est, quod Deus ipse æternis suppliciis castigat. Unde vero hæc supplicia originem habeant, conceptis verbis exponit ad rem Babanus, in *libro Judicum* : « Contrariæ virtutes non invalescerent adversum nos, nec ipse diabolus non nobis aliquid valeret, nisi ei vires ex nostris vitiis præberemus. » Inde tam potentes in reum sunt tenebræ, quia vires ex peccatore desumunt; per peccatum enim diabolus peccatorem totaliter facit suum.

## VERSUS 14.

*Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

**1.** — S. Bonaventura in sermone quodam in hanc Dominicam ait : « *Multi sunt vocati temporaliter, pauci electi æternaliter.* » Lyranus verba illa de his explicat, qui ad fidem et religionem Christianam vocati sunt, ex quibus culpa eorum propria, pauci salvantur. Dionysius Carthusianus ait : « *Multi sunt vocati ad nuptias Ecclesie militantis, pauci electi ad nuptias triumphantis;* » cujus ratio desumi potest ex eo quod S. Gregorius, in *Catena* citatus, scribit : « Nonnulli bona nec incipiunt; nonnulli vero in his, qua conceperunt, minime perscunt; tanto ergo sibi unusquisque sollicitè metuat, quanto ignorat, quæ resistunt. »

**2.** — Hugo Cardinalis ait : « *Timendum est Christianis, ne eo modo introeant in regnum Cælorum; quo filii Israel in terram promissionis, scilicet duo solum.* »

**3.** — Jansenius dubium quoddam resolvit, quod hic moveri potest, quomodo scilicet conclusio hujus Evangelii vel consequentia præmissis respondeat; quia in præcedentibus dictum est, quod ex iis, qui ad nuptias invitati fuerunt, omnes sint eorum facti participes et unus tantum exclusus : « *Sciendum est,* » inquit, « *per unum, qui ejectus dicitur, significari non omnes, qui vocati sunt, fore salvandos; deinde cum illo, qui ejectus est, sunt conjungendi, et omnes illi, qui vocati primum fuerant, sed indignos se fecerunt nuptiis.* » Cajetanus non omnes ex Judæis invitatos, nuptias perisse dicit, tametsi major pars illas spreverit;

propterea circa illum unum observat, dicens : « *Nec carens veste nuptiali fuit unus, sed sub illo multitudo descripta est fidelium, qui indignos Christiano convivio seipos exhibent.* » Jansenius insuper ad Gentilium, in Judæorum locum substitutorum instructionem notat, cavendum illis esse; ne sibi de proprie salutis securitate inaniter blandiantur, eo quod ad nuptias fuerint vocati, quia multi etiam eorum fuere rejecti : « *Ne remissiores*

« *essent et nimis securi existimantes satis esse credere et baptismum suscepisse.* »

**4.** — Lucas Brugensis verum totius hujus parabole sensum paucis hinc verbis complectitur, dicens : « *In summa docet hoc loco Christus, fidem ipsam et Ecclesie communionem minime sufficere, ut quem pro suo agnoscat et æterna vita beet Deus, nisi in ea vocatione digne vivere per severet.* »

## DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. IV, VERS. 46

46. Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.  
47. Hic cum audivisset quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum, ut descenderet, et sanaret filium ejus, incipiebat enim mori.  
48. Dixit ergo Jesus ad eum : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.  
49. Dicit ad eum regulus : Descende, priusquam moriatur filius meus.  
50. Dicit ei Jesus : Vade, filius tuus vivit : credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, et abiit.  
51. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei et nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret.  
52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius haberit; et dixerunt ei : Quia heri hora septima reliquit eum febris.  
53. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit, et credidit ipse, et domus ejus tota.

## VERSUS 46.

*Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.*

*Erat quidam regulus.*

**1.** — Cajetanus vox *regulus* interpretatur *proregius* : « *incertum est autem, an esset regius genere vel officio;* » existimat autem verisimile esse, quod de stirpe et progenie Herodis fuerit, vel saltem consiliarius regni ejus. S. Hieronymus dicit : « *Regulus, id est, regius sive palatinus;* » Syriaca legit : *Sereus regius;* alii explicant *nobilis, potens.* Nonnulli exponit : « *Vir regius regens exercitum.* » Lyranus hoc nomen non prout sonat, intelligendum dicit, videlicet quasi parvus quidam rex fuerit, eo quod statum nimis modicum gubernandum haberit; cujus litteralem hanc adducit rationem, quia scilicet Romani fastum Judæorum deprimitere volentes, regnum illorum in quatuor dividerunt tetrarchias, dignitatem et dominium regium iis auferendo, ut per hanc divisionem, rebellionem ipsorum præventes, de suo se regno securiores efficerent : Pro illo tempore, nullus rex erat in Judæa; dicitur

« *ergo iste regulus, quia erat officialis Imperatoris deputatus ad custodiam Galilææ, propter quod manebat in Capharnaum, quæ erat metropolis illius terre.* »

**2.** — S. Thomas, in *Joan.*, moralem sensum secutus, per hunc regulum, rationem intelligit, dicens : « *Cum in regno animæ rex sit ipsa ratio, secundum illud, Prov., xv, 8 : Rex, qui sedet in solio suo; querendum, quare dicitur rex? Quia totum corpus hominis per eam regitur, et affectus hominis ab ea dirigitur et informat, nec non et alia vires animæ eam sequuntur;* » mox vero pergit ostendere, quando hic rex in regulum degeneret, dum ait : « *Sed quandoque dicitur regulus, quando scilicet dimittitur in cognitione et obscurata sequitur inordinatas passiones; et ideo filius ejus, id est, affectus infirmatur, inde deviat a bono, et declinat ad malum.* »

**3.** — Theophylactus per hunc regulum quemvis hominem intelligendum esse dicit, non solum, qui regi universorum propinquus secundum animam, sed quia super omnia principatum sumpsit, ejus filius mens fabricatus, ex voluptatibus et pravis desideris.

**4.** — Pater hujus infirmi non sine causa a S.